

Zeitschrift:	Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg
Band:	10 (1963)
Heft:	1-2
Artikel:	Quomodo se habeat Collegium Eposcoporum ad Sumumm Pontificem
Autor:	Brinktrine, Johannes
DOI:	https://doi.org/10.5169/seals-761528

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Siehe Rechtliche Hinweise.

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. Voir Informations légales.

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. See Legal notice.

Download PDF: 18.10.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

JOHANNES BRINKTRINE

Quomodo se habeat Collegium Episcoporum ad Sumumm Pontificem

Inter quaestiones, quae in Ecclesiologia tractantur, maximi momenti haec est, quae sit relatio Collegii seu Corporis Episcoporum ad Successorem s. Petri vel Summum Pontificem.

I.

Antequam in ipsam quaestionem relationis Primatum inter et Episcopatum ingredimur, duae quaestiones praeviae solvendae sunt. Prima, quae ampliorem disquisitionem postulat, haec est : Qua re Collegium seu Corpus Episcoporum proprie constituitur ? Altera brevior, quae nuperrime a compluribus mota est, sic sonat : Praeexistunt singuli Episcopi an Collegium episcopale ? Aliis verbis : Habetne Corpus Episcoporum prae singulis Episcopis prioritatem ?

1.

Non raro hodie asseritur Collegium Episcoporum ipsa et sola consecratione episcopali constitui. Si vero rem penitus consideramus, haec sententia teneri nequit. Ratione enim consecrationis omnes episcopi aequales et, ut ita dicam, coordinati sunt et materialiter tantum uniuntur. Ex iure divino nemo inter fratres praeemineret, ex iure humano solummodo unus ex iis caput Collegii constitui posset.

Unitas perfecta vero, qua Dominus Ecclesiam suam ornari volebat, omnino postulat, ut ex iure divino unus ex Episcopis Caput sit ceterorum et sic Corpus perfectum, quod Capite non careat, formetur.

Ex his sequitur Episcopos extra Ecclesiam catholicam, etsi rite consecratos, Corpus proprii nominis non constituere; deest enim Caput, quod est constitutivum formale unitatis Corporis.

Revera igitur Corpus seu Collegium Episcoporum nonnisi in catholica Ecclesia invenitur, et quidem vi unionis cum Successore s. Petri, qui iure divino et origo et centrum unitatis Episcoporum est. « Hinc sacerdotii », i. e. Episcopatus¹, « unitas exoritur. » Hac unione cum Sede Apostolica proprie Collegium Episcoporum constituitur. Verissimum igitur est conceptum Collegii vel Corporis Episcoporum conceptum Primatus Successoris s. Petri vel Romani Pontificis praesupponere ab eoque intrinsecus dependere.

Quodsi igitur asseritur unitatem Collegii episcopal non solum in Summo Pontifice apparere, et quidem hoc ideo impossibile esse, quia secus Episcopatus non iuris divini esset², facillime id non recte intellegitur, immo ratio, quae pro hac sententia affertur, falsa est. Etenim hae duae veritates : Episcopi perfecte et formaliter in Romano Pontifice uniuntur, et altera : Episcopatus iuris divini est, non sese excludunt : etsi Episcopi nonnisi in Capite suo formaliter uniuntur, quid prohibet, quominus Episcopatus ut talis iuris divini sit ?

Diximus Collegium Episcoporum in sola Ecclesia catholica inveniri, i. e. eos tantum Episcopos ad hoc Collegium pertinere, qui in unione cum Sede s. Petri versantur.

Ex antiquissimis enim temporibus catholica Ecclesia ac Romana Ecclesia, cui Successor s. Petri praesidet, idem sonant.

V. gr. s. Irenaeus Martyr († 202) loco celeberrimo et notissimo Adv. haer. III, 3, 2 testatur fidem Romanae Ecclesiae unam eamdemque rem esse ac fidem catholicae Ecclesiae. Juxta s. Cyprianum idem est « cum Cornelio (i. e. Romano Pontifice tunc temporis) communicare »³ atque « cum catholica Ecclesia communicare ». Idem Cyprianus proclamat : « Qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit ? »⁴ Nec mirum quod iuxta s. Ambrosium

¹ Antiquitus nomen sacerdotis et sacerdotii pro episcopo et episcopatu sumebatur. Cf. v. gr. A. THIEL : Epist. Roman. Pontificum genuinae I (Brunsbergae 1867), passim.

² Cf. K. RAHNER – J. RATZINGER : Episkopat und Primat (Quaestiones disputatae, 11. Friburgi Br. 1961) 78.

³ Ep. 55, 1, ed. Hartel, vol. III, pars II (Vindobonae 1871) 624.

⁴ De cathol. Ecclesiae unitate, 4 (Migne P. L. 4, 501). Cf. etiam ed. Hartel, qui textum nostrum ut interpolationem posterioris temporis considerans, in annotationibus praebet (l. c. 213). Revera, ut J. CHAPMAN (Rev. Bénéd. 1902, 246 ss. et 357 ss. necnon 1903, 26 ss.) ostendit, eumdem Cyprianum ut auctorem habet, qui ipse alteram recensionem operis postea edidit. Cf. B. ALTANER : Patrologia (Torino 1944) 112.

convenire cum Romana Ecclesia idem est ac convenire cum catholicis Episcopis : « Advocavit (Satyrus, frater s. Ambrosii) ad se Episcopum nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percontatusque ex eo est utramnam cum Episcopis catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia, conveniret⁵. » Notandum denique Romanos Pontifices iam antiquissimis temporibus actis synodalibus sic subscrispsisse : « N. Episcopus sanctae Ecclesiae catholicae urbis Romae⁶. » Hac consuetudine subscribendi non obscure insinuatur Ecclesiam Romanam virtualiter esse catholicam et radicem catholicae unitatis. Etenim ceteri Episcopi subscripti, propriae solummodo Sedis episcopalnis nomen addentes⁷. Eodem titulo, quo Romani Pontifices utebantur, et ab aliis vocabantur⁸.

Quicumque ergo primis saeculis intra catholicam Ecclesiam, i. e. ab Episcopis, pacem et unionem cum Romana Sede habentibus, Episcopi pro determinata dioecesi (eparchia) legitime consecrabantur⁹, Collegio Episcoporum incorporabantur, etsi forte Romanus Pontifex *expressum* consensum non dabat. Quicumque vero extra hanc unionem consecrabantur vel consecrantur, ad Collegium Episcoporum non pertinent, sed sunt membra dispersa, quia Capite carent¹⁰.

2.

Quoad alteram quaestionem *Carolus Rahner*¹¹ thesim defendit Collegium Episcoporum singulis Episcopis praeeexistere.

Rectius vero distinguendum et dicendum esse videtur : In ordine intentionis Corpus Episcoporum quoad singulos Episcopos prioritatem habet, inquantum omnes Episcopi, valide consecrati, ad Collegium vel Corpus episcopale ordinati sunt et ex intentione Christi eidem aggregari deberent. Sed in ordine executionis singuli Episcopi Collegio praeexis-

⁵ De excessu fratris sui Satyri I. I, n. 47 : ed. Maurin. tom. IV, col. 188 (Venet. 1751).

⁶ Cf. v. gr. THIEL : l. c. [adnotat. 1] 648 : Caelius Symmachus episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis Romae... subscripti.

⁷ V. gr. : Rufinus episcopus ecclesiae Canusinae subscripti (THIEL : l. c.).

⁸ THIEL : l. c. 437.

⁹ Olim ordinationes et consecrationes sic dictae absolutae non fiebant ; quicumque episcopus vel presbyter etc. ordinabatur vel consecrabatur, pro determinata ecclesia ordinabatur vel consecrabatur.

¹⁰ Recte J. RATZINGER : Primat, Episkopat und Successio apostolica (Q. disp. 11 [cf. adnot. 2]) 56 : « Ohne Gemeinschaft mit Rom kann man nicht in der ‘Catholicam’ sein – sine unione Ecclesiae Romanae impossibile est esse intra ‘Catholicam’ ».

¹¹ L. c. [adn. 2] 78 ss.

tunt, in quantum vi consecrationis tantum Collegium seu Corpus, ut vidimus, nondum constituunt.

Quodsi idem auctor¹² autumat Concilium Oecumenicum, si singuli Episcopi (quin Collegium constituerent) Concilio praeexisterent, non habere supremam auctoritatem in Ecclesia, notandum est singulos Episcopos, ut supra diximus, nonnisi unione cum Sede Apostolica Collegium formare ac propterea supremam potestatem, quae a Capite in Corpus defluit, possidere. Minime vero sequitur, ut Collegium Episcoporum (in ordine executionis) singulis Episcopis praeexistat.

II.

His duabus quaestionibus solutis iam tractandum erit de ipsa relatione Collegii episcopalnis ad Romanum Pontificem.

Primum tractabimus de ipsa relatione inter Episcopatum et Primum (sub n. II), deinde ad obiectiones, quae contra thesim nostram fieri possent, respondebimus (sub n. III), denique de natura et proprietatibus iurisdictionis Episcopis collatae dicemus (sub n. IV).

Constat singulos Episcopos a Summo Pontifice quoad hierarchiam ordinis nullatenus differre. Solum quoad hierarchiam iurisdictionis Successor s. Petri ceteros Episcopos iure divino superat. Restat igitur, ut de relatione iurisdictionis Episcoporum, quae et potestatem magisterii et regiminis (iurisdictionem stricti nominis) complectitur, ad iurisdictionem Summi Pontificis tractemus.

Etsi olim, ut diximus, consecratio episcopalnis et collatio iurisdictionis coincidebant, quia Episcopi pro certis ecclesiis consecrabantur, tamen consecratio *ex sese* iurisdictionem non secumfert.

Quomodo igitur Episcopi eam adipiscuntur? Nullo alio modo quam eo quod in unione Ecclesiae catholicae, i. e. Romanae Ecclesiae, consecrationem accipiunt. Si iurisdictio consecratione episcopali non confertur, aliud medium collationis ac unio Romanae Ecclesiae non iam adest. Sicut singuli Episcopi eo ipso, quod in unione Ecclesiae catholicae Romanae consecrantur, Collegio Episcoporum annumerantur, ita eodem modo iurisdictionis participes fiunt. Hoc quoque Sede Apostolica vacante valeret. Potestates iurisdictionis, i. e. magisterii et regiminis, quarum principalis auctor, ut appareat, Spiritus Sanctus est, in catholica Ecclesia etiam Summo Pontifice mortuo non evanescunt. Propterea Episcopi et in hoc casu (si v. gr. Apostolica Sedes, quod Deus avertat, per longius

¹² L. c. 79.

90 Quomodo se habeat Collegium Episcoporum ad Summum Pontificem tempus vacaret) iurisdictione donarentur, et quidem vi unionis cum catholica Ecclesia ¹³.

III.

Falso interdum affirmatur ¹⁴ secundum novum Jus canonicum Orientalium iurisdictionem Episcopis ipsa consecratione episcopali conferri. Canonem enim 396 § 2 sic sonare :

¹³ Unionem cum Sede s. Petri condicionem saltem sine qua non collationis iurisdictionis episcopalnis esse salva fide negari nequit. Immo quaeri posset, num causa instrumentalis transmissionis iurisdictionis ad Episcopos vocanda sit. Ut iam diximus, constat solum Deum vel Spiritum Sanctum causam principalem collationis iurisdictionis esse. Pro thesi, unioni cum Sede Apostolica non solum condicionem sine qua non, sed causalitatem instrumentalem quoad transmissionem iurisdictionis convenire, hae rationes congruentiae afferri possunt :

1. Potestates hierarchiae ordinis sacramento ordinis conferuntur. Non est autem dubium, quin sacramentum ordinis non secus ac cetera sacramenta iuxta doctrinam Tridentinae Synodi (cf. Sess. VII can. 6 et can. 8 : Denzinger, Ench. Symbol. 849 et 851) tamquam vera causa effectus suos producat. Ergo facile admittitur etiam potestates iurisdictionis seu magisterii et regiminis via causalitatis instrumentalis conferri. Ut causa vero instrumentalis nonnisi unio cum Ecclesia catholica occurrit.

2. Causa instrumentalis gratiae, proprio sensu sumptae, i. e. gratiae gratum facientis, secundum doctrinam s. Thomae sunt humanitas Christi et sacramenta ; humanitas Domini est instrumentum coniunctum ; sacramenta sunt instrumenta separata. Constat autem potestates iurisdictionis gratiis annumerari : sunt, licet non gratiae gratum facientes, tamen gratiae gratis datae. Etiam sub hoc aspectu verisimile videtur huiusmodi quoque gratias, i. e. potestates iurisdictionis, non immediate a Deo dari, sed instrumentaliter, nempe mediante Ecclesia seu unione cum Sede Apostolica, causari.

3. Dubitari nequit, quin potestates magisterii et regiminis, breviter iurisdictionis, a Christo ut Capite Corporis sui mystici repetendae sint. Si vero res ita se habet, facile intellegitur Corpus ipsum, quod est Ecclesia, Domino intime coniuncta, non omni causalitate quoad transmissionem iurisdictionis carere.

Ad has rationes convenientiae accedunt duorum insignium Doctorum testimonia, s. Leonis Magni et s. Thomas Aquinatis. « Ab ipso omnium charismatum fonte (i. e. Jesu Christo) tam copiosis est irrigationibus inundatus (scil. Petrus Apostolus), ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit » (LEO I : Sermo IV de natali ipsius : Migne P. L. 54, 149). « Quamvis Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi, tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere, propter quod etiam dixit ei singulariter : Confirm fratres tuos ; Pasce oves meas » (THOMAS : In IV Sent. d. 24 q. 3 a. 2 qua. 3 ad 1). Ad hanc thesim penitus explicandam et defendendam vide, quae scripsimus in periodico Theologie und Glaube 52 (1962) 317 ss. : Woher empfängt das Corpus Episcoporum auf einem ökumenischen Konzil seine Jurisdiktion über die universale Kirche ? praeprimis p. 320 s.

¹⁴ Ita a C. DEJAIFVE : Le premier des évêques, Nouv. Revue théol. 82 (1960) 561 s. Cf. etiam H. KÜNG : Strukturen der Kirche (Friburgi Br. 1962) 217, nota 33.

Recepta episcopali consecratione Episcopus :

1º episcopalem iurisdictionem et ius percipiendi redditus mensae ... episcopalis obtinet,

2º Indulgentias ... concedere potest.

Attamen revera ex hoc Canone nullo modo erui potest Episcopum orientalem ipsa consecratione ut tali iurisdictionem obtinere. Iuxta hunc Canonem *post* consecrationem (« recepta episcopali consecratione ») iurisdictionem adipiscitur. In hoc vero nulla difficultas. Constat enim Ecclesiam iurisdictionis collationem ad certas condiciones alligare posse, quibus ad effectum non deductis, nulla iurisdictio conceditur. Sic fit e. gr., cum Ecclesia in sacramento Paenitentiae certa peccata graviora iurisdictioni sacerdotum simplicum subtrahit et iurisdictioni Papae vel Episcopi reservat. Quod autem iurisdictionem attinet, quae Episcopis orientalibus confertur, Ecclesia receptam consecrationem episcopalem tamquam condicionem sine qua non pro adipiscenda iurisdictione determinavit.

Praeterea fortasse obiecerit quispiam, iuxta Pontificale Romanum Episcopo consecratione iurisdictionem revera conferri. In Praefatione enim, quae vocatur, eiusdem consecrationis sic dicitur : Da ei, Domine, claves regni caelorum ... Quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in caelis, et quocumque solverit super terram, sit solutum et in caelis. Quorum retinuerit peccata, retenta sint, et quorum remiserit, tu remittas.

Sed hoc argumentum claudicat. Nam et in ordinatione presbyteri Pontifex manus capiti eidem imponens dicit : Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisseris peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueris, retenta sunt. Tamen constat nullo modo his verbis iurisdictionem conferri. Similiter nec in consecratione Electi in Episcopum.

Aliqui putant in consecratione episcopali iurisdictionem semper conferri, sed exercitium huiusc iurisdictionis nonnisi missione, quam a Romano Pontifice accipiunt, obtineri. Verumtamen haec sententia vix cum doctrina Summorum Pontificum Leonis XIII et Pii XII componi potest. In Epistola « Egregium sane » (15. Dec. 1895) Leo XIII affirmat « excidere Episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint. Nam a fundamento, quo totum debet aedificium niti, secessione divelluntur ; itaque exclusi aedificio ipso sunt : ob eamdem causam ab ovili seiuncti, cui dux est Pastor maximus, regnoque extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves » (Leonis XIII Pont. Max. Acta, Romae 1881-1903, XVI, 198). In Encyclicis vero « Mystici Corporis » (A.A.S. 1943, 211 s.), « Ad Sinarum Gentem » (ib. 1955, 9), « Ad

Apostolorum Principis » (ib. 1958, 610 s.) docet Pius XII expressis verbis Episcopos nec nominatos nec confirmatos a Sede Apostolica ... nulla frui potestate magisterii et iurisdictionis. Quod plene consonat cum doctrina s. Thomae : « quam (sc. iurisdictionem) non habet ab Ecclesia praecisus » (S. th. Suppl. q. 38 a. 2 ad 1).

Non est ergo inter iurisdictionem et eiusdem exercitium distingendum, sed simpliciter dicendum in consecratione episcopali nullatenus iurisdictionem conferri. Verum quidem est in consecratione *aptitudinem* proximam ad eamdem adipiscendam tribui.

Theoria praefata, ut ita dicam, compromissum est inter sententiam nonnullorum, qui putant ipsam consecrationem episcopalem iurisdictionem tamquam effectum producere, et alteram omnino tenendam iurisdictionem nonnisi missione canonica conferri.

IV.

1.

Primum tractandum erit de natura iurisdictionis episcopalnis.

Etsi iurisdictio Episcopis a Sede Apostolica confertur, tamen non est in arbitrio Papae posita, sed ex ordinatione Christi Collegio Episcoporum debetur. Hodie haec iurisdictio directe et expresse (quod certe convenientissimum est) a Successore s. Petri singulis Episcopis confertur ; antiquis temporibus magis indirecte a Christi Vicario dependebat : quasi ex sese a Successore Principis Apostolorum ad eos Episcopos, qui in unione et pace cum Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et capite, stabant, fluebat¹⁵.

Est ergo iurisdictio Episcopis collata ex institutione Domini nullatenus delegata, quasi Episcopi Vicarii vel Legati Summi Pontificis essent : ... « nec tamen (Episcopi) Vicarii Romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam » (*Leo XIII, Encycl. Satis cognitum*). Iurisdictio episcopalnis est iurisdictio ordinaria veri nominis : ex ordinatione Christi, ut figurate loquamur, a Capite in membra defluit.

Causa principalis est, ut supra diximus, Spiritus Sanctus, qui anima Corporis Christi mystici, i. e. Ecclesiae catholicae Romanae, est eamque

¹⁵ Iuxta J. DE TORQUEMADA Papa est « unica fontalis origo totius potestatis ecclesiasticae » (Oratio synodalis de Primatu : ed. Candal, Romae 1954, 26). Haec verba nonnisi de potestate iurisdictionis interpretanda esse evidens est.

ita inhabitat, ut extra Ecclesiam catholicam nullum magisterium nullumque regimen legitimum existat. Etsi hierarchia ordinis etiam extra Ecclesiam catholicam adest, tamen hierarchia iurisdictionis, sensu supra explicato, desideratur. Charisma veritatis et recti regiminis (sc. fidelium ad vitam aeternam) Ecclesiae catholicae, cui Successor s. Petri praesidet, reservatur. Hoc ipsum criterium est, quo vera Jesu Christi Ecclesia omnibus aliis ecclesiis, in quibus deest, preeminent atque ab iis distinguuntur.

2.

Ut ad tractandas proprietates iurisdictionis ad Episcopos promanantis transeamus, primo quaeri potest, num universalis sit, i. e. ad universam Ecclesiam sese extendens.

Respondendum : negative. Ad eam partem Ecclesiae pertinet, quae singulis Episcopis concredita est, h. e. ad propriam diocesim eamque nullatenus praetergreditur. Apostoli enim primis Episcopis, quorum successores hodierni Episcopi sunt, curam, i. e. munus magisterii et regiminis, non totius Ecclesiae, sed partis solummodo demandarunt¹⁶. Iurisdictionio, singulis Episcopis collata, aliis verbis ab initio restricta fuit.

Alia quaestio est, num a Summo Pontifice iurisdictionio super totam Ecclesiam Episcopis modo quasi extraordinario communicari possit. Quoad Episcopos, singulatim sumptos, hoc vix fieri posse videtur. Singulus enim Episcopus suam propriam ecclesiam vel dioecesim repreäsentat ideoque ut talis iurisdictionem universalem participare nequit.

Aliud dicendum quoad Collegium Episcoporum, quod universalem semper Ecclesiam repreäsentat. Supra demonstravimus Corpus seu Collegium Episcoporum ex natura et ratione sua unionem cum Sede s. Petri denotare. Si iam Caput, i. e. Summus Pontifex, iuxta doctrinam catholicam Ecclesiam universam repreäsentat, multo magis Caput et Corpus, h. e. Papa et Episcopi, cum eo coniuncti, id faciunt. Ideo Collegium Episcoporum, non autem singuli Episcopi ut tales iurisdictionem super universam Ecclesiam semper participant. Quasi spontanee, ex sese a Capite in Corpus seu Collegium Episcoporum defluit : unus Spiritus, qui est anima Ecclesiae, et Caput et Corpus vivificat. Quod prae-primis fit, quotiescumque Episcopi, cum Romano Pontifice in Concilio Oecumenico congregati, de rebus fidei ac morum necnon de rebus disciplinae iudicant.

¹⁶ Legatur v. gr. 1 Clem. cc. 41-44.

Ex his sequitur tam Papae quam Concilio Oecumenico supremam potestatem in Ecclesia convenire : « admittimus vere plenam et supremam potestatem existere in Summo Pontifice veluti capite et eamdem vere plenam et supremam esse etiam in capite cum membris coniuncto, scilicet in Pontifice cum Episcopis » (*Frid. M. Zinelli*, Episc. Tarvisinus, in Concil. Vatic. I). Etiam in hoc casu iurisdictio, qua Collegium Episcorum fruitur, non potestas delegata est : defluit quasi ex sese a Capite in membra eidem coniuncta¹⁷.

¹⁷ C. RAHNER (l. c. [adnot. 3] 86 ss.) thesim proponit Papam semper ut Caput Collegii episcopal agere, sive aliquid ipse « solus » sive una cum Episcopis in Concilio Oecumenico congregatis decernat ; in primo casu subiectum morale super Orbem dispersum, in altero casu idem subiectum morale uno loco congregatum esse. Semper iuxta Rahner Romanus Pontifex ut membrum, etsi primum et praecipuum, Corporis et Collegii Episcorum agit.

Quae sententia aegre tantum cum Primatu Summi Pontificis et loco, quem in Ecclesia tenet, componi videtur. Insuper textibus biblicis « Confirmata fratres tuos » (Lc. 22, 32) et « Pasce agnos meos, pasce oves meas » (Jo. 21, 15 ss.) vix satisfacit. Potius ergo dicendum potestatem, quam Episcopi habent, a Capite, i. e. Summo Pontifice, in membra, i. e. Episcopos, descendere, non vero Romanum Pontificem ut organum Corporis vel Collegii Episcorum agere.